

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2020-2021
À faire en temps limité (4h) et à rendre le lundi 16 novembre

Version latine n°5 : une secte peu recommandable

Pro mira stultitia et incredibilis audacia ! spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt et futura, et dum mori post mortem timent, interim mori non timent : ita illis pauorem fallax spes solacia rediuua blanditur.

Ac iam, ut fecundius nequiora proueniant, serpentibus in dies perditis moribus per uniuersum orbem sacraria ista taeterrima in piae coitionis adolescunt. Eruenda prorsus haec et exsecranda consensio. Occultis se notis et insignibus noscunt et amant mutuo paene antequam nouerint ; passim etiam inter eos uelut quaedam libidinum religio miscetur, ac se promiscue appellant fratres et sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum uana et demens superstitione sceleribus gloriatur.

Nec de ipsis, nisi subsisteret ueritas, maxima et uaria et honore praefanda sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimae pecudis caput, asini, consecratum inepta nescio qua persuasione uenerari digna et nata religio talibus moribus. Alii eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia et quasi parentis sui adorare naturam : nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris adposita suspicio ! Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum et crucis ligna feralia eorum caerimonias fabulatur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur.

Minucius Félix

